

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.



1. Faust de viuu. 1684.
2. Fehr de origine hydrope utriusque ovarii. 1762.
3. Fels de glandulis conglobatis. 1714.
4. Fels aer vitae et sanitatis moderator. 1721.
5. Ferencel De dysenteria. 1742
6. Flach: De passione Sliava. 1725
7. Flach: De luxatione ossis femoris raroire. 1723.
8. Flach: De oculo 1681
9. Flachland: Do rabie canina. 1780
10. Flig: De malo hysterico 1750
11. Frost: De febribus inflammatoris in genere 1747 1763
12. Franck: De caru nephritico calculorae tabacenit lethali excepta
13. Frenodoff: De partu praeternaturali ac difficulti ob paucidistantiam
funiculi umbilicalis 1749
14. Freytag De orthocentro et bubonore Hevetiae insulari 1761
15. Freytag: De cataracta. 1726
16. Friedrich: De uterina gravitarum haemorrhagia 1733.
17. Tried: De cordis palpitatione 1760
18. Triest: Memorab. carum in viuere de emolitione arteriarum
cum epiorisi. 1775
19. Triest: De morbo Hercules vulg. epilepsia 1734.
20. Turon: De haemorrhoidibus 1754.
21. Fuchs: De effutib. rem venae portae 1768

F. F.
DISSE^RTATI^O MEDICA^I
DE
CATARACTA,
QVAM

Sub PRÆSIDIO
DN. JOHANNIS BOECLERI,
Med. & Phil. Doctoris,
Botanices atque Chymiae Professoris Publ. Ordinarij
& Capit. Thomani Canonici,
h. t. Facultatis Medicæ DECANI Spectabilis.

IN
SOLENNI Eruditorum Congressu
hor. locoq; conf.

d. 7. Februarij Anni currentis M DCC XXI.
tueri conabitur

AUTHOR
JOHANNES HENRICUS
FREYTAG, Tigurinus.

ARGENTORATI,
LITERIS JOHANNIS PASTORII.

**CELEBERRIMI
IN NOSODOCHIO TIGURINO
AD ÆGROTONS VISITANDOS
SALUBERRIME CONSTITUTI
COLLEGII MEDICI
ASSESSORIBUS
VIRIS**

*ILLUSTRIBUS, GENEROSIS, MAGNIFICIS, EXPERIENTISSIMIS atq;
EXCELLENTISSIMIS*

DN. PRÆSIDI, Canonico
& Archiatro.

**DNN. DOCTORIBUS &
PROFESSORIBUS** longè Ce-
leberrimis,

Cæterisque
**qui ex utriusque Senatus Patrii
gremio eidem Collegio intersunt**

VIRIS

*Virtutibus atque Meritis condecoratissimis
PRIMITIAS STUDIORUM
ACADEMICORUM*

D. D. D.

AUTHOR.



Evidense hoc qualium-
cunque meorum, quos
in Arte feci, profectu-
um specimen VOBIS,
VIRI MAGNIFICI, offerre propter-
ea sustineo, quoniam ob insignia à
VOBIS in me meosque derivata
beneficia, pietas mihi injungit, ut
quavis occasione grati animi notas
edam,

: (2

edam. Nec dubito quin hoc gratitudinis testimonium sereno sitis suscepturi vultu, quum certissimus de propenso in me favore VESTRO vivam; accedit illud quod Vos præprimis EXCELLENTISSIMI MEDICI, & dilectissimum meum Parentem haud indignum judicaveritis, qui VOBISCUM assideret, & VESTRO sub Umbone innumeras Operaciones Chirurgicas feliciter hactenus perageret, & mihi quoque grato se permiseritis, ut fundamenta, quæ in Chirurgia, præeunte Patre, posueram, celeberrimo in Nosocomio VESTRO ulterius excolere potuerim, insuper quoque in addiscendis

scendis artis Medicæ principiis præ-
fulseritis, & ad saluberrimam hanc
divinamque doctrinam excitaveri-
tis. Nil magis haberem in Vo-
tis, quam ut TANTORUM ARTIS
PROCERUM judicio dignum labo-
rem exhibere possem, verum, cum à
Tyrone tale quid exspectari neque-
at, facile me à VOBIS veniam impe-
traturum confido, si in materia,
quam tractandam mihi sumpsi, ali-
as sat gravi, & de qua inter sum-
mos etiam Medicos acres motæ
fuerunt lites, vel minus bene versa-
tus, vel hinc inde hallucinatus fue-
ro. Satis esse judicavi ex obser-
vationibus tum propriis tum præ-
ser-

sertim à *Patre* meo institutis & annotatis sermone tenui & plano potissimum exposuisse, quo modo res deprehensa fuerit, sicque Viris me longe doctioribus & excellentioribus ingenii ac judicii dotibus præditis, quid de controversa inter eruditos Cataractæ natura statendum sit, dijudicandi ansam suppeditasse.

Suscipite Vos modo benigne **PATRONI EXCELLENTISSIMI** hocce munusculum chartaceum, & **VESTRO** Patrocinio pagellas hasce exiguae contra Momorum Zoilorumque invidiam tutas reddite. Ego beneficia **ESTRA** alta grataque

que reponam mente & nunquam
non ad S. S. Trinitatem pro Salu-
te VESTRA ardentissima fundam
suspiria. In seros usque annos sal-
vos sospitesque Vos, VIRI MAG-
NIFICI, præstet OMNIPOTENS in u-
niversæ Reipublicæ Tigurinæ uti-
litatem atque splendorem, omni-
bus consiliis atque actionibus VE-
STRIS clementissime benedicat, fe-
licissimumque semper largiatur
successum. Totum tandem Colle-
gium ad ultima usque secula in-
concuſſum & imperturbatum con-
ſervet. Quod ſupererit, ego ſum-
mæ VESTRÆ benevolentiaæ, VIRI
AM-

AMPLISSIMI, atque protectioni
me meaque studia devoto animi
cultu omni tempore commendo.
Valete & favete

MAGNORUM NOMINUM
VESTRORUM

Dab. Argent. d. Jan.
1721.

Cultori obsequiosissimo

JOH. HENRICO FREYTAGIO.

PRÆ-

-MA

JOHANNES BOECLERUS,
Med. & Phil. D. Botan. atq; Chym. Prof.

NOBILISSIMO atque PEREXIMIO
RESPONDENTI SUO,

DN. JOHANNI HENRICO
FREYTAGIO,
DISSERTATIONIS AUTHORI,
fausta quævis appreccatur.

Bosset quis, Carissime Commensalis,
in signis temeritatis Te arguere, quod
futvenis Te immisceas liti, qua tan-
tas inter Eruditos movit turbas, ut
quidam etiam profunda eruditionis Viri se in-
vicem vix non internecinum odium redolente
bello literario persecuti fuerint. Ast eò facilius
removebitur hoc Tibi objectum crimen, quo ma-
gis ex specimine hoc studiorum Academico, pro-
prio à Te, ut ajunt Marte, elaborato patere pot-
est, Te non altercandi, sed potius veritatis in-
daganda & comprobanda causa mentem Tuam
in chartam conjecisse. Quum enim Arti Me-
dica dicatus ab Optimo Parente, Peritissi-
mo magnique nominis Chirurgo, à teneris an-
nis, in preceptis Artis Chirurgica, Medicis ipsis
tan-

F

200

tantopere necessaria, fidelissime fueris hactenus
instructus, facile ex ipsa experientia oculari ve-
ritatem Tibi nudam cernere licuit; dum non
solummodo dexterima Patris manus multa Ti-
bi detexerit, sed & Tu ipse haud paucā propria
experientia rimatus fueris: quæ ipsa res haud
vanam Tibi parit laudem, præsertim cum vige-
simum annum nondum excedens Juvenis plures
Operationes Chirurgicas & imprimis Catarac-
tarum depositiones haud infelici cum successu
jam peregeris. Inductus etiam hinc fuiſti, ut,
quid de Cataracta natura tum ex propriis, tum
ex Paternis præprimis observationibus Tibi inno-
tuerit, publica luci exponere haud dubitares, nul-
lo detentus convitiandi aut ostentandi studio.
Gratulor Tibi animitus de egregiis Tuis cona-
tibus, precorque Supremum Numen studiis Tuis
in posterum ex alto quoque clementissime benedi-
cat, quo felicem aliquando finem imponere, Pa-
tria Tua splendorem augere, agrorum salutem
Promovere, & in primis Divini Nominis gloriam
ubivis celebrare queas. Quæ à me Tibi grata
vel utilia promanare poterunt officia, ea Tibi
semper promptissima paratissimaque consecro.



* * *

Entum oculis Phariam, fama est, servasse Ju-
vencam
 Argum, Zelotypæ sic placuitque Deæ.
 Mercurij cantu dulci tamen Ille dolisque
 Lumina claudebat pressa sopore gravi.
 At tu centoculo multo es vigilantior Argo
 FRE Y TAGI, non Te, *suavis Amice*, melos
 Sirenum sponunt, stultique Cupidinis arcus,
 Quæque foveat molli Murcia pigra sinu.
 Lynceus es, cernis quam sit mirabile visus
 Organon, & quanto nostra decore nitent
 Lumina, sed certam simul ipse adferre medelam
 Qua ratione queas cum ratione doces
 Quando caligantes non amplius intrat *ocellos*
 Phœbus, & hos tristis cum *Cataracta* tegit.
 Qui videt est felix, quanto felicior ille est
 Per quem Cœcorum plurima turba videt?

*Sic Pereximis DN. A U T H O R I Amico suo
 ad cineres colendo applaudere eique omnia
 fausta apparetur voluit.*

SAMUEL SEELMATTER,
 Helv. Tobinianus M. C.

 Urerit mature, quod vult urtica manere.
 Tu sic usisti, Fautor Amice, Puer,
 Maxima promittens de Te miracula nobis,
 Mira spopondisti, sed mage mira dabis.

Aeriter

¶ 10 (5)

Acrier à puer, Juvenis nunc acrius uris,
Etas quem queso, quem dabit illa Virum?
Spondes magna puer, Juventis majora propinas,
Quid, si Vir factus, Fautor Amabo, feres?

Nimirum crescent successu temporis in Te
Virtutum, celeri, munera cuncta, gradu.
De Magno Major, sed de Majore vocandus
Maximus, & mirus dexteritatis Homo.
Est verum, noto quod vulgo carmine fertur:

Non procul à proprio stipite poma cadunt.
Hec ea dona Parenis Tuus inclytus ipse ferrebat
Ut Puer, ut Juvenis, Virque perinde tulit.
Claruit his semper; Cur Tu non amulus essem?


Cum gignat doctus pignora docta Parenis.
Amulus es, constat, Patri succidis Amando.
Messor es illorum, que Pater ipse serit.
O Te felicem natum vestigia Patris
Lambentem studio! perge, beatus eris.

Gratior ex animo Patri, Patriaque Tibique,
De digno studij, Dulcis Amice, gradu.
Insuper ut longos Te servet Numen in annos
Orabo, vires firmet & ingenium.
Sic cum doctrinâ virtus conjuncta probabit:
Mentis & ingenij digna Talenta Tui.
Perge ut cœpisti: si sic perrexeris, olim
Præmia suscepto digna labore feres.

Ita AUTHORI Nobilissimo atque Eruditissimo
accinere voluit,

B. J. FELS, M. C.

¶ 10 (6)



PRÆFATIO.

HÆ, quas oculis Tuis, Lector
Benev. Theses subjicio Chirurgicas, nulla alia quam
exercitij Academici causa
conscriptæ atque congregata sunt. Quum e-
nim mos in Academiis receptus exigat,
ut, qui ad altiora adspirat, proiectuum
suorum specimen edat publicum, ego quo-
que è re mea fore judicavi, si quid hu-
meri valeant ferre recusent publice ex-
plorarem. Placuit autem materiam ex
Chirurgia seligere, cum & hac ars ad sa-
nitatem mortalium variis morborum ge-
neribus subjectorum restituendam conser-
vandamque quam maxime contribuat.
Accedit quod à teneris quasi unguiculis
à Perdilecto Parente meo ad hanc artem
excitatus & in eadem exercenda fidelissi-
me instructus fuerim, eo quidem cum suc-
cessu,

A

N.B.D.Q.

C.

cessu, ut, absit jactantia verbo, non levioris
 sed gravioris etiam momenti operationes
 Chirurgicas peragendas confidere mihi haud
 dubitaverit, sicuti etiam tales frequenter
 tum in nobili Tigurinorum Nosocomio
 tum in aliis Helvetiae locis peregi. Im-
 primis autem haud raro & adstante Pa-
 renti optimo Cataractam in oculis enatam
 deponenti, & ipsas met auxiliatrices hoc
 malo laborantibus admovere manus licuit.
 Non potui non hinc ex variis observatio-
 nibus addiscere, quidnam proprie sit Cata-
 racta; Quum autem jam sciam insignem
 de natura Cataracta inter scriptores oc-
 currere dissensum, dum alii pelliculam in
 oculo Cataractam constituere afferunt, alii
 vero eandem in Humore Crystallino depra-
 wato querunt, quid ipse meis manibus de-
 prehenderim, quid oculis meis perspexerim.
 hisce pagellis exponere decrevi, eorum de-
 fensurus partes, qui pro pellicula pugnant,
 praesertim, cum ubi rerum testimonia adjunt,
 non opus sit verbis. Deus conatibus suam
 largiatur benedictionem.

Q.D.B.V.

CATARACTA.

§. I.

Vox Cataractæ, origine Graeca καταράξ & καταράσις, Castello propriè significat loca petroſa, per quæ aquæ cum impetu decidunt. Unde dicuntur fluvij Cataractæ, qui ex montium cacuminibus in subiecta magno aquarum strepitu cadunt, quare & ipſi precipites lapsus fluminum Cataractæ vocantur, ſicuti quoque nubes pluvias largiores & cum impetu profundentes dicuntur Cataractæ Cœli aperte. Descendit vero hæc vox à verbo κατέπιπτον i. e. impetuose deturbo, cum impetu decidō; vel ut aliis placet à κατέπιπτον defluo, delabor. Qua ratione Cataractæ etiam dicuntur obices, quibus aquæ cursus temperantur & ſuſtinentur, quales hinc inde & quidem ſat frequentes in locis aquarum inundationibus obnoxiiſ occurruunt, vocanturque Schlieſſen/Schleuſen. Refertur etiam hoc verbum ad moles ſive aggeres, die Dâne/ quibus aquarum impetus coërcetur. Ita & fores pendulæ intra mūrorum portas ac pro lubitu maximo cum impetu delabentes adverſus irruptionem hostium, ex ligno communiter ferrove conſtantēs, Germanicè Schützgatter/ Fallgatter; imò etiam pefſili, qui Portis contra vim hostilem obduntur, hoc ipſo nomine veniunt. Sed ne proliliores in iis, quæ minus hic nos tangunt, ſimus, pro-

grediamur ad scopum Medicum, ubi deprehendimus, quod *Cataracta* vocabulum ob similitudinem ad peculiarem oculorum affectum translatum sit, & alias etiam à Græcis vocetur ἡπόχυμα atque ὑπόχυτος, quæ vocabula deducuntur τὸ τῆς ἡπόχυτος, quod Latinis denotat suffundere. Quam ὑπόχυτον Author Medici, sive introductionis alias Galeno adscribi solitæ, circa pupillam, ἢντε μὲν κατὰ νόσου locat: quamque ulterius explicat dicens, ἡπόχυτος δὲ λέγεται τινες ὅταν συμβῇ παρεπέχων τῷ γάστρι οὐδὲν εἴη τὸν πόλεμον καὶ τὸν πόλεμον, ὅπερ καλόντα τὸ ὄφεν ἢ καὶ ἀμαυρώδες ἐν τῷ φαγετῷ, hoc est, suffusionem esse quidam dicunt, cum aliquis humor circa pupilam affusus concretionem fecerit, adeo ut visum impedit vel in his, quæ apparent, hebetet. Latinis hinc etiam haud ineptè dicitur *Suffusio* vel simpliciter cum quibusdam, vel ad distinctionem fuggillationis, quæ etiam quandoque suffusionis termino exprimitur, *Suffusio Oculorum*. Germanis audit, der Staar / ab ave cognomine, ex quorundam opinione; weilern etliche vermeynen/ man bekomme diesen Mangel von dem Vogel/ den man Staar nennet/ wenn man derselben viel esse/ oder aufz einem Wasser trincke/ da gemeldter Vogel aufzgetrunken/ oder innen gebadet habe. Videatur Bartisch im Augendienst/ qui hoc ipsum tanquam superstitionis ridet. De hoc jam morbo pauca pro viribus differere mihi est animus. *Est autem Cataracta morbus quidam Oculorum, qui radiorum in oculum*

in-

ingressum prohibet, ob materiam quandam heterogeneam inter humorem Crystallinum & Uveam membranam coagulatam, quæ per pupillam inspicienti album vel glaucum vel Margaritæ similem aliumve colorem præsentat, unde cæcitas inducitur.

§. II.

Ordine vero ut hac in materia procedamus, de diversitate Cataractæ primò aliquid dicere, & dein aliorum contra systema nostrum opiniones referre consultum fore duximus, sperantes haud infirmis & argumentis & rationibus imo & observationibus facilis negotio adversarios refutari posse.
Diversitas Cataractæ consistit tum in colore; dantur enim albantes, flavescentes, nigrantes, glaucæ sive cœruleæ, virides, lividae &c. *tum in consistentia majori vel minori opacitate vel duritie;* Alia porro Cataracta est *incipiens*, alia *perfecta*, alia *combinata*, v. c. Cataracta matura, sive perfecta, & cum ~~auerugosse~~, vel gutta Serena, & Cataracta cum atrophia oculi, quarum multas ipse vidi, aut Cataracta cum alia menda, cum cicatrice, v. g. Corneæ, Hypopio &c. conjuncta. Alia Cataracta est *fixa*, alia *fluctuans* atque *vacillans*. Aliæ verò discriminantur *respectu originis*, quæ ab inflam-

inflammatione partim, partim sine ea, partim à violentia, partim absque ulla prævia molestia sine que insensibili perceptione ortum trahunt. Alias item dolor capitis, alias nullus comitatur. Per Cataractas autem à violentia contractas intelligimus omnes, quæ à forti corporis proveniunt alteratione, sive à rebus idem valde alterantibus, v. g. à partu difficulti, fortissimo emetico, verberatione, imò refrigeratione quoque & calefactione Tonitru, Fulgure, Nebula, Pulvere pyrio, Aqua fervente, &c. quibus de causis dicemus quædam infra.

§. III.

Cataractam certam esse materiam Uveam Tunicam inter & Humorem Crystallinum pellicula membranulæve similem, contra naturam in oculo coagulatam censuerunt jam Veteres. Quæ sententia perdiu quoque fovebatur, usque dum Gallorum præprimis aliqui Viri Clarissimi exæstius rem examinare conati defunctorum Cataractæ antea laborantium oculos dissecarent, ubi se reperiisse afferunt, Cataractam in Humore Crystallino consistere, eoque admodum alterato, opaco ac indurato. Verum enimvero, quod hanc de Cataracta sententiam, dum eam in Humore Crystallino, ejusque opacitate induratione &c. consistere volunt, attinet, me quidem haud præterit, ejus Lentis dari opacitatem, sed hanc Lentis Crystallinæ opacitatem Glaucoma existere, jam veteres ostendebant, uti variis ex Authorum locis patere potest. Sufficiat nunc allegasse rursus Authorem Medici supra jam citatum, ita differentem;

I. 20-

Γλαυκωτις δέ ἔστι τε προσαλλοεδὺς ὑγρὸς εἰς λακὸν καὶ ὑδατῶδης
χρηστὸν μελαῖον, οὐ δὲ τὸ βλέπειν παλύεται; *Glaucoma* est
Humoris Crystallini in *album & aqueum* colorem
permutatio, per quam visus impeditur. Eous-
que etiam hæc vox *Glaucomatis* obtinuit, donec
ante aliquod tempus celebrium quorundam in
Germania juxta atque Gallia Virorum arbitrio in
eius vicem *Cataractæ* vox fuit substituta. Quod
verò hoc *Humoris Crystallini* vitium semper sit
pro *Glaucomate* habendum, adstipulatur mihi
Clariss. & in Europa Celeberr *Ophthalm.* Reg.
WOOLHOUSIUS in Dissertationibus *Ophthal-*
micis de Cataracta & Glaucomate ex Ling. Gal-
lica Latinè versis à Domino Christophoro le Cerf
p. 187. *Crystallinus* itaque inquit, *opus factus*, (*etsi*
etiam ejus depressione visio reddi posset) nomine *Glau-*
comatis semper *insigniri* debet; & corpora extranea
Humoris Aquei (*quæ Dn. Antonius appendices vocat*)
nomina suffisionum & Cataractarum in æternum ge-
retere debent, *juxta significativam & specificam denomi-*
nationem omnium Medicine & Chirurgia Procerum,
qui ante nos vixerunt: & si hoc solum fieret, ut duo-
rum diversorum oculi affectuum sedes diverse distin-
guantur. *Cataractam* itaq; cum *Glaucomate* minime
confundendum esse censeo; siquidem *Glaucoma*, uti
intelleximus, nihil aliud est quam *Lentis Crystallinae opa-*
citas sive *induratio*; *Cataracta* vero *corpus extrane-*
um aut *heterogeneum* in *humore aqueo concretum*. Pro-
vocant equidem statim ad oculos demortuo-
rum, sed dissectionem oculi cujusdam demortui ad
Cataractam in *Humore Crystallino probandam* fir-
missimo stare talo non videtur, idque, quod
oculi

oculi defunctorum, nec non humores in iis superfites, non eandem cum iis, qui adhuc aura vesuntur, rationem habeant. Quadrat enim huic tritum illud, quando de moribundis pronunciant: Die Augen sind ihm schon gebrochen / er wird bald sterben. Qua de re necessariò sequitur, quod Humores mutantur & sepius Crystallinus etiam reddatur opacus, quoniam hic maxima tenacitate, imò duritie gaudet; unde & hoc fundamento pro Cataracta in humore Crystallino pugnantes falluntur. Largior opacitatem seu duritiem, quam Viros illos Praeclariss. deprehendisse nullus dubito, non tamen exinde concludendum, esse Cataractam veram atque perfectam, quum Glaucoma potius sit dicendum.

§. IV.

Cataractam in Humore Crystallino querentes affirmant porro, eum non esse necessarium ad visum, ideoque facilè posse supprimi in depositione Cataractarum, & deponi etiam debere, quia Cataracta nihil aliud sit, quam Lens Crystallina opaca reddita, quemadmodum observationes ipsis demonstrasse contendunt, in iis quorum oculi acui seu operationi fuerunt subjecti, in quibus quippe post mortem Humor Crystallinus in fundo depositus fuerit repertus. Sed respondeo, visum equidem adesse posse etiam absque Lente Crystallina, sed admodum obscurum, nec tamen inde argumentari licere, quod Lens Crystallina ad visum minus sit necessaria. Primo enim

enim ansam nobis suppeditat Camera obscura
vitro destituta , sicuti enim in hac perobscurae
depinguntur objecta , ita etiam in oculo Humo-
re Crystallino destituto res contingit , quippe
quo absente visum quoque , sed minus acutum
& accuratum concedimus : à videre autem ad be-
ne videre N. V. C. Constat etiam Humorem
Crystallinum respectu collectionum radiorum
princeps visus esse instrumentum , prout respectu
perceptionis retinam tunicam principale organum
esse statuant , utpote qua mediante radij ac-
cepti sensorio communi offeruntur . Propterea
itaque ad visum maximè est necessarius Humor
Crystallinus , quicquid etiam dicat in contrarium
Clarissimus & Excellentissimus Dn. HEISTERUS in
Tract. de Cataracta , Glaucomate & Amaurosi §.
XLV. p. 113. Porrò dico , si Cataracta semper es-
set Crystallina , non eveniret , quod plures (non
scilicet loquor de omnibus propter oculorum
diversitatem) qui oculorum curationem ad-
hibuerunt , tam acutè idque absque conspicillis ,
aliisque vitrorum generibus , videre valerent ;
accedit quod multi , qui hoc malo laborarunt ,
post operationem vel curationem conspicillis et-
iam usurpati videre nequeant . Notandum in-
super id , quod conspicillis ante operationem af-
fueri , etiam post illam , nisi obscurè cognoscere
objecta velint , iisdem opus habeant . Sed quam
felix beatusve est iste , qui legere , scribere , imo
vel subtiliores labores , quorum mentio fiet in-
fra , peragere sine conspicillis aliisve vitris potis
est ? Lens Crystallina insuper cingitur cum pro-

B

cef.

cessibus tūm ligamentis Ciliaribus, quod si ergo in fundum oculi deponeretur, necessum esset, ut omnes illae partes, ubi motus ejus sit, lacerarentur. Et certe, si in Lente Crystallina hæreret Cataracta, utique plurimi in quibus facta esset operatio, desiderarent conspicilla: edocti autem observationibus sumus, ea minime desiderasse multos. Credimus itaque & post operationem in Cataracta completa factam Humorem Crystallinum in situ suo naturali manere necessariò debere, quoniam alias objecta exactè percipi non possent. Quod si etiam revera deposita Lente Crystallina virus quadantenus rediret, afficerem, quod malum illud haud fuerit Cataracta vera, sed potius Glaucoma. His adde quod Humor Crystallinus ob magnitudinem suam vix ita in fundo submergi possit, quin non semper ferè aliquid introscientibus cernendum offeratur, unde nobis certe ambiguum quoque quam maximè videtur, num in oculi fundo semper ita submersus fuerit repertus.

§. V.

Regerat quis Humorem Vitreum in locum Crystallini concedere, figuramque suam sinuofam mutare, ast hinc non sequitur, ergo & eodem modo ad visionem concurrit ac Crystallinus. Ostendendum enim est, humorem Vitreum eundem motum obtainere; ast ubi sunt instrumenta, per quæ moveri queat? Accedit quod quilibet, si Vitreus Crystallini officio fungeretur, deposita hac Lente Crystallina æque bene & cominus & eminus videre deberet, id quod tamen observa-

ſervationibus quam maximè repugnat ; adeoque
tum demum credendum , Humorem Vitreum
Crystallini Vicarium agere posse , quando demon-
stratum erit , eundem per certas quoque partes
vel membranulas , vel ligamenta moveri aequa a
Humorem Crystallinum , quod difficulter ſati-
quis probatum dabit .

§. VI.

Verum hisce ſimilibusque miſſis ad alia ma-
joris momenti progredior ; quod nimirum Patro-
ni Humoris Crystallini contendant , Cataractam
membranaceam eſſe incurabilem , quoniam à coherentia
ſeparari atque ſubmergi vix poſſit , niſi Iris vel Uvea
Cataractæ juncta laceraretur , vel eodem temporis pun-
cto atque ſimil Lens Crystallina præcipitaretur . Pri-
mum verò quod attinet , Cataractam ſcilicet mem-
branaceam eſſe incurabilem , reſpondeo , id eſſe à veritate
alieniſſimum , quia talem Cataractam ex oculis acibus
hamatis extractam demonſtrent plures operatio-
nes à dilecto Parente meo in præſentia multo-
rum Medicorum aequa ac Chirurgorum tum in
Nosodochio noſtro tum aliis in locis peractæ ,
quibus de infra pro theſi noſtra ſtabilienda erit
fermo ; interim tamen quilibet ſana mente præ-
ditus hinc perſpicere poteſt , Lentem Crystalli-
nam oculis extrahi non ita facile poſſe , ſed po-
tius corpus iſtud extraneum , quod radiorum in
oculum ingressum prohibuit , quoque extracto
Viſus priuinus reſtitutus fuit . Porro , quando ob-
jectum eſt , Cataractam membranaceam ideo eſſe
incurabilem , quod à coherentia ſeparari atque ſubmergi
non

non possit, regero Chirurgorum eruditorum neminem, modo Circumforaneos cum Asseclis eorum excipias, vix ullam in se se suscepturn esse operationem, si in perscrutatione Cataracta Oculo placide pollice primum presso, palpebrisque hinc occissime apertis, inspiciens eam se moventem, Uveamque se dilatantem, rursusque se constringentem non videat. Quando deinde addunt, quod Humor Crystallinus eodem tempore & simul præcipitur, persuasum habemus, Chirurgorum, qui Anatomiam oculive structuram exactè callent, operationibusque manualibus addiscendis & exercendis nullam non per omnem atatem impendebunt operam, quemlibet in hoc affirmando fore difficilem ; quam enim ob rationem Humorem Crystallinum, partem oculi tam necessariam, submergere conarentur ? Hic proinde error inde forsitan suam traxit originem, quando scilicet Barbatores, in oculi structura, ut & cæteris Anatomia partibus hospites, immò etiam circumforanei, & , qui nullo se jure ita jactant , operatores talem operationem , visum pristinum ægo certe promittendo in se suscipiunt. Expertus contra Chirurgus neque cæco visum indubitate promittet, neque quod conscientiam laderet aggredietur. Et si tempus tali Operationi destinatum est, omni cura læsionem Humoris Crystallini evabit : patientem quippe ad nares oculum torquere

quere jubet, & ita, quo ritè acum in Humorem Aqueum per tunicas oculi intrudere possit, eum in finem duarum linearum spatio ab Uvea perforatur oculus, ut Humor Crystallinus in statu suo naturali conservetur. Sufficient hæc argumenta ad thesin nostram probandam, & ad refutandas oppositiones eorum, qui in depositione Cataractarum, etiam si eorum judicio membranula esset, Humorem Crystallinum perforari necessariò in tali operatione debere contendunt; nam si sana cum ratione operationis perpendantur circumstantiae, periculum læsionis Humoris Crystallini qui alias, si non cæcitatem saltem insignem visionis debilitatem & imperfectionem oculo non afferre non posset, perfacile esse evitandum, apparabit. Igitur neque Humor Crystallinus una cum Cataracta in fundum oculi structuræ præcipitatur, neque inutilis ad visum redditur, quod tamen in læsione fieri necessum esset.

§. VII.

Ut verò in scenam quid ulterius producant, de elasticitate Humoris Crystallini regerunt, si Cataracta esset membranula, illa innumeras in submersione ejus plicas acu attraberet, imo multò minus elasticitatem habere posset in sua forma ad priorem locum se conferendi. Primo loco respondeo, quod horum argumenta cum veritate quidem non pugnant, interim tamen contra nostrum etiam sistema nihil probent, & quod forsitan talibus operationibus vel nunquam vel raro interfuerint adversarij. Claram quippe est, quando à parte superiori Cataractæ acu-

supprimatur membranula, fore, ut quodammodo complicaretur; si verò à parte inferiori acu illam acuminata præcipites, in nullas sanè plicas conversam videbis, & apta manebit, quæ eadem iterum in forma ascendere queat. Subjungo etiam, quod nimis elasticitas multoties proveniat à cohærentia Uveæ, quod multæ & felici quidem successu operationes ab honoratissimo *Parente meo* factæ monstrarunt. Quando autem totalis Cataractæ cum Uvea adest cohæsio, illam immedicabilem fere esse diximus, licet in quibusdam casibus etiam auxilium ferri queat; dum in talis Cataractæ operatione lacerare pelluculam, vel acu etiam perfodere conveniat, prout infra in methodo operandi hac de re fiet mentio.

§. VIII.

Præcipuis itaque argumentis maxima jam ex parte refutatis, commemorabimus etiam aliquid de iis, qui à nimo calore Cataractam generari, ejusque opacitatem ex eodem fundamento provenire opinantur; qua de etiam mentionem injicit Excellentiss. Dn. HEISTERUS in Tract. de Cataracta p. 85. thes. XL. ubi de inflammationibus talia facit verba: *Examinemus primò inquit causas Cataractæ, ubi occurrit inflammatio oculi, sive à causa interna sive externa orta, hec, ubi contingit diuturna & imprimis talis, quæ oculi partes interiores occupat, in oculo, quamvis antea sanissimo & corpore purissimo, praesertim si ager valde conqueritur de dolore acerrimo & urenti in oculo, sapissime sequitur Cataracta; nam à calore hoc nimio & præternaturali va-*
scula

scula subtilissima & tenerrima Lentis Crystalline quasi constringuntur, exsiccantur, coalescunt, opaca sunt, & sic Cataractam formant. Sed ratio hæc Excellent.Dn.
HEISTERI locum hic habere non semper videtur. Novimus nimirum, dolorem, istum urentem & vel acerrimum non tam provenire ab ipsis oculi humoribus, quam potius in tunica adnata seu albuginea consistere, à congestione sanguinis in vasculis tunicarum stagnantis. Præterea humores in oculo contenti tantum calefieri nequeunt, quantum aqua fervescens, qua Humorem Crystallinum opacum statim induratumque reddit, eidemque colorem margaritæ similem conciliat, quando in ea submergitur. Rationi præterea contrarium est in extrema tali inflammatione tantum calorem adesse, ut Humorem Crystallinum induratum exsiccatumque, ut loqui amant, reddere polleat. Nam si hoc esset, utique sequeretur, quod non Humor solum Crystallinus, sed Aqueus etiam & Vitreus exsiccarentur. In Cataracta porrò perfecta humores fluxiles atque clari reperiuntur. Quomodo autem ab inflammatione oriatur Cataracta infra explicabimus.

§. IX.

Ex eo, quod Humor Crystallinus ab aliis etiam rebus indurescat opaceturque v. gr. à liquore acido vel injecto, vel dum in eodem Lens Crystallina demergitur, exinde quidam acidum aliquod in oculo statuerunt, quod Cataractam generet, ubi istud acidum in poros Crystallini Humoris se insinuaverit, ejusque poros constringerit,

xerit, quoniam hoc modo alteratus, induratus, exsiccatus, imò & opacus fiat. Quod vero Clariss. atque Excellentiss. Dn. HEISTERUS ipse refutat pag. 238. §. LXXXV. ubi dicit; *Secta illa Medica, quæ hanc pridem & hodie adhuc hinc inde vigens, omnium ferè morborum causas acidum esse statuit, illa & in hoc morbo ex præjudicata magis opinione quam demonstratione acidum, nescio quod, tanquam præcipuam accusavit causam.* Porro pag. 240. missa, inquit, ridicula illa de fermento radicali Humoris Crystallini opinione, tanquam nulla experientia aut ratione innixa respondemus, neque illud experimentum nempe injectionem Crystallini in liquorem acidum probare, quod Antonius inde concludit; si enim aqua fervida, spiritui vini, spiritui salis armoniaci, muriae, oleo tartari per deliq. &c. Lens Crystallina injicitur, opacitatem quoque perfectam induit. Igitur eodem jure & aequipollenti experimento inferre possem: Ergo Aqua, Spiritus vini, Spiritus salis armoniaci, oleum tartari per deliq. & alia similia pro causis haberri possent. Enim vero sicuti præcise nec spiritui vini nec spiritui salis armon. &c. soli causa Cataractæ, ita nec soli acido adscribi potest, sed potius sentimus, omne sanguinis acre constringens corrugansve vasa tenera Lentis Crystallinæ, cuiuscunque sit generis ad opacitatem & Cataractam in ea producendam aptum natum esse. Quid ergo de acido sit habendum confutationis Heisterianæ verba hic sufficere credo. Quando autem sanguinis acris mentio fit, mihi res nondum plane extra litem posita videtur: Quod si enim sanguis esset acris, qui ad humores nutriendos est dicitus, non Humor duntaxat Crystallinus, sed cœteri

teri quoque destruerentur. Deinde, quod si Lentem Crystallinam constringeret, imò corrugaret, miror, quare non etiam Humor Vitreus, in sua quoque tunica latens constringitur? quemadmodum cætera oculi vascula &c.

§. X.

Pergendum ad Cataractæ originem. Possemus autem ante omnia prolixiores esse in describenda admiranda oculorum structura, verum nemini excurrat calamus, cognitionis hujus cupidos ad Physicorum Physiologorumque libros remittimus. *Cataracta* autem, quam diximus *corpus esse extraneum varij coloris inter Uveam & Humorem Crystallinum coagulatum, quod radiorum luminarium in oculum transitum prohibet, motum tunicae retinae impedit, cœcitatemque inducit*, originem habet à materia quadam pituitosa in Humore Aquo contenta, quæ sensim sensimque indurescens Cataractam tandem constituit. Provenire autem videtur hæc pituita ab impuritate sanguinis, ex quo secernitur Humor Aqueus: quod si enim talis materia, quæ alias in statu naturali, clara, fluxilis imò nullo colore prædicta esse debet, inquinata in oculum feratur, non solummodo, dum tales partes heterogeneæ in Humore Aquo hinc inde dispersæ fluitant, variae res, v.gr. muscæ volitantes, fumi, rete aut alia etiam corpuscula oculis obversantur, sed & postquam tales

C

par-

partes sibi invicem junguntur, successive ejusmodi pellicula concrescit: successu namque temporis materia talis heterogenea magis magisque tenacior, densior atque durior redditur, in primis in illis, qui multa sanguinis impuritate gravantur, usq; dum totum foramen Uveæ claudatur, id quod in quibusdam brevi contingit tempore; in aliis autem longius temporis spatium effluit, usque dum suam Cataracta perfectionem maturitatemque accus ferenda nanciscatur, præsertim quando multa medicamenta, incipiente Cataracta, assumuntur, quæ generationem ejus partim destruunt partim impediunt & retardant.

§. XI.

Quod verò talis humorum motus & affluxus fiat, vel ex restitutione humorum patescit, quando nimirum Humoris Aquei quantitas ex oculo effluit, per factum vel per operationem, vel per iectum aut cultellum in oculo foramen, eadem 24. circiter horarum spatio restituitur, id quod experimentis innotescit, si scilicet canis aliis-
ve animalis oculi cultro perfodiantur, ut tota fere Humoris Aquei quantitas effluat; tunc, quando guttæ aliquot succi ex vesiculis Ulmi vulneri instillentur, oculiq; bene ac commodè diligentur, haud multò post Humor Aqueus restitutus deprehendetur, nec semper opus, ut aliquid instilletur, sufficere etiam potest vel sola aliquando deligatio, ea semper cum cautela instituenda, ne oculi fortiter nimis stringantur, quoni-
am alias reliqui quoque Humores noxam subi-
rent.

rent. Incidit in memoriam historia notatu satis digna, ex qua humorum ad oculos fluxus satis manifestus redditur, quamque propterea non possum non Benevolo Lectori communicare; ita autem se habet: *Celebris quidam Neocomi Incola* (nomine S. J.) *laborans Heclica, Medicorum ejus loci consilio, lac asinini magna in copia assumebat, quo factum, ut post aliquot temporis spatium materia in oculis agrotantis conficiendam se preberet lactea, quæ etiam oculum insufficienti lucidissimè comparuit; quando enim aeger jacebat supinus, lac illud fluebat in nervum opticum unde simul cæcitas ipsi inferebatur: si vero inclinato capite oculos in terram desigeret, restuebat istud, ut ita loquar, lac à nervo optico in primam oculi cameram, videbaturque Cataracta incipiens, quæ etiam visum impeditiebat.* Si vero cælum versus aliquantisper lumina tollebat, præcipitabatur lac in fundum oculi, in quem Cataractæ acu deponi solent, & tunc objecta cognoscere poterat. Lac vero se præbuit oculis Parentis mei, hoc miraculum conficiens, colore suo naturali albicans, eaque, qua alias lac esse consevit, fluxilitate præditum. Potuisse quis putare, fuisse Hypopion, verum peculiares hic occurrentes circumstantiae sumnum injiciunt dubium. Dominus interea patiens variis sublevatus remedis curari tamen minus potuit, quoad ipsius cervici emplastra applicarentur vesicatoria; quibus nimius humorum in oculum influxus præpediretur, id quod etiam felicissimum habebat successum, materia quippe ista lactea amota & Domini Patientis oculi ita restaurati fuerunt, ut vel subtilissima quoque cognoscere cum latitia puerit. Ex hac observatione, partes heterogeneas

in oculis separari, satis patet, difficile licet sit di-
judicare, quomodo hoc lac separatum fuerit.
Sicuti autem porrò deprehendimus, hoc malum
folis remediis absque operatione curatum fuisse,
ita quoque Cataractæ incipientes etiam absque
operatione curari possunt & debent, uti multas,
si opus esset, hic addere possem hac de re, obser-
vations. Conferantur interim *Bartisch* / alii-
que.

§. XII.

Sicuti autem Cataracta, ubi visus non adeo
perturbatus est, pellicula nondum comparet, &
solummodo variae res oculis obversari videntur,
primus Cataractæ gradus, seu imaginatio
appellatur; ita secundus Cataractæ gradus
Aqua etiam sive Suffusionis nomine veniens
dicitur, quando materia Cataractam formans ma-
gis incrassescit, visumque maximè debilitat, in-
terim tamen nondum satis consistentia habet;
quod videre est, si oculi placido premantur pol-
lice, quam etiam remediis multoties curatam fu-
isse documenta probant. *Tertius gradus* dicitur
gutta obscura vel Cataractæ perfecta,
quam guttam obscuram sive Cataractam mem-
branaceam à variis causis variisque accidentibus,
commotionibus v. g. fortioribus &c. provenire
diximus. Cataractam autem esse membranulam
citra laborem sequenti observatione probari pot-
est. Siquidem anno 1694. accidit, ut b. m. Dn.
REINACHERI Magistri stabuli Tigurini filius,
pictura

picturæ operam dans, à Carnifice peteret vomitorium, quo assumpto tantus corporis ejus motus subsequebatur, ut conseruit oculorum sensibus privatus Cataractis Glaucus premeretur. Seco hinc menses præteriere, antequam perfectam nocte sunt maturitatem. Accidit vero, ut, postquam dilectissimus meus Parens oculorum operationem peregit, in pristinum locum ostidui spatio Cataracta in dextro oculo rursus ascenderet, ita ut non nisi sinistro uti posset. Quo facto parens meus per Semestre iterum ejus coagulationem exspectare coactus operationem de novo, eamque mediante acu hamata tentavit, felicissimoque cum successu Cataractam ex oculo extraxit. Operationibus interfuit Excellent. atque Experient. Dn. LAVATER, Medicinæ D. b. m. Visu hinc iterum potitus tam acute qualibet perspexit, ut omnibus suis negotiis usque ad finem vitae aliquot post annos infuscatum, vacare citra ullam molestiam potuerit. vid. Excell. atque Experient. Joh. von Muralty Med. Doctoris Schriften von der Wund-Arthen / pag. 729. Observ. i. de Observationibus Chirurgicis J.C. Freytags Anno 1711. Basileæ impress. Experimentum hoc ad oculum demonstrat, Cataractam non esse Humorem Crystallinum, quoniam acu, quæ valde subtilis est, hamata tale corpus quale Lens est Crystallina, ex suo loco per tam angustum foramen acu per oculi tunicas factum extrahi non posset. Præprimis vero repugnat deducita ex oculo pellicula, quæ tenuis quidem, sed valde tenax & glutinosa extitit. Sicuti ipse quoque testari possum, me ejusmodi

C 3

pel-

pellicularum extractionem à Parente meo factam
sæpius oculis meis vidisse. Ne verò quispiam
opponat , à particulari observatione ad universa-
lem non esse concludendum , alias adhuc recen-
sebo.

§. XIII.

In Authore supra citato pag. 731. Observ. III.
sequitur observatio quædam , quam mihi tiberius
explicare Parens meus haud gravatus fuit. Ser-
mo autem est de foemina quadam , quæ ad emit-
tendum foetum magnis laboribus defatigata simul
in puerperio acerrimis imò intolerabilibus capi-
tis doloribus vexabatur , adeò ut utroque in ocu-
lo Cataractæ exinde sequentes deprehenderentur ,
quæ postea acubus hamatis exemptæ fuerunt.
*Anno nimirum 1697. magno nisi enitebatur Frau
Nägel Huberin von 40. Jahren in der Eyerbrecht
ohnweit von Zürich wohnhaft / à quo nisu con-
gestiones sanguinis ad caput siebant, de quibus prove-
niebant intolerabiles fere capitum dolores, qui Cataractæ
ambobus in oculis excitabant, quarum operationem per-
dilectus Pater meus intra aliquot hebdomas peregit.
Sed altero in oculo Cataractæ nondum erat matura
adeoque operationi non subjeciebatur ; maturam vero
acu consueta felicissime in oculi fundum submersit, eo
quidem cum successu, ut per biennium illa cernere po-
tuerit. Crescente interim alterius oculi Cataractæ, ea
quoque , quæ submersa antea fuerat, in pristinum resi-
liit locum , ita ut visu rursus omnimodo privaretur.
Acui hinc & quidem hamati de novo hac mulier in præ-
sentia multorum Medicorum subiecta felicissime amissa
lumina recuperavit : und sich nachgehends bis hie-
her*

her (ut Parentis mei verbis utar) mit Seidenwin-
den erhalten: porro autem mihi retulit, quod Ca-
taracta ex oculo extracta colorem habuerit albi-
cantem, & quod valde fuerit glutinosa atque te-
nax.

§. XIV.

Dantur etiam Cataractæ, quarum pelliculae
adeo tenaces sunt, aut adeo firmiter adhaerent,
altasque radices egerunt, ut submergi acu nullo
paenè labore, nullaque industria queant; cuius
generis multas Parentem acubus quibusdam se-
cantibus dissolventem separantemque vidi, ante-
quam pelliculam in oculi fundum præcipitare
potuerit. Et certe in tali Cataracta per transfor-
mationem auxilium afferri posse experientia sufful-
tus assero. Egometipse enim in Alma Argento-
ratensium Civitate hac usus sum methodo, quam
Leatori Benevolo recenseo. Anno 1719. d. 16.

Octobr. subjiciebam acui Magdalenan Scherzerin/
cujus oculi ante annos circiter novem magnis cum ca-
pitis doloribus bebetari coeperunt, quod malum sensim
sensimque & quidem in dextro primum oculo in Cata-
ractam mutabatur; licet autem haec dudum suam na-
ita fuerit maturitatem, agra tamen pauperibus nata
parentibus, & auxilio & consilio destituebatur; acce-
debat tandem ad me: quapropter re examinata, auxi-
liante divina gratia, operationem in me suscipere cona-
tus eo magis sum, quo magis Cataractam, in sua per-
fectione coloreque margarita simili præditam confexi,
ita ut felicem mibi curationem non promittere non pos-
sem. Igitur banc operationem Cataractæ in oculo dext-
ero existentis calo sereno aspicatus, capite prius ab
impus-

impuritatibus purgato venaque secta peregi. In operatione autem ipsa, cum acum oculo infigerem, & ad Cataractam deprimendam laborarem, eandem, quia Uvea firmiter satis cohærebat, sine magna difficultate non posse separari observavi; dum autem fōrti nīsu acui resistebat, egoque adhaſionem separare conabar, perforata forte fortuna est pellicula, quæ insuper adeo tenax erat, ut impossibile fere videretur, eam in fundum deponi posse. Submersa verò tandem est, ita ut agrotæ erectam meam manum statim videre potuerit: Quum autem die inſequente vomitus, nescio qua ex causa excitatetur, hic Cataractam depreſſam rursus ascendere coēgit, superflite tamen, quod agrotæ adhuc salutis est, foramine in pellicula medio in operatione formato, per quod videre omnia atque cognoscere etiamnum potest. Curiosum in hoc ſubjeſto illud quoque fuit, quod post sex dies deligatione remota colores quoſlibet, nigros quoque, depreenderet albicantes atque cinereos, quod probabiliter à nimio motu tunicae retinæ, quæ multos per annos radiorum luminarium allapsi non perculſa erat, ori ri videbatur. Curavi hinc, ut pannus bombycinus niger ante oculos ſuspenderetur, per quem radij in oculum tranſirent, eorundemque motus inſtringeretur. Ut ebatur hocce panno per sex hebdomadarum ſpatium, hocque mediante ſemper imò & acutè obiectum quodvis in naturali ſuo colore cognoscet, ſenſimque motu luminis ita affuefacta per id tempus fuit, ut abſque iſto panno cuncta dignoscere poſtea poſſet. Alteram ve-ro Cataractam eo tempore adhuc immaturam tangere non potui, ſed elapſo demum Semeſtri, mea quoque acui & quidem feliciori, quam antea, eventu, ſubjeci, ita ut nullum ejus vestigium depreendi adhuc in oculo poſſit.

ipsa

ipsaque recuperato visu omnibus suis negotiis peragendis, virtuique querendo idonea evaserit. Operacionibus praesentiam suam largiti sunt plures amicorum & inter illos in arte Chirurgica peritissimus Dn. H A F F N E R , qui de veritate eorum, quæ dixi cum reliquis testari poterit. Luculenter ex hac operatione patet, quid de pellicula in Cataracta sit statuendum, quum comprehendendi non possit, quomodo Lens Crystallina ita perforari queat, prouti in hoc subjecto in pellicula factum, in quo ipso adhuc vivente conspicere licet pelliculam perforatam, per quod foramen radiis luminaribus transitus conceditur, ita ut visu plenatio utatur.

§. X V.

Inter Cataractarum causas jure meritoque referuntur ictus atque contusiones oculorum, praesertim paulo fortiores: ab his enim non solum Humores in primis Aqueus confunduntur, sed & saepius vas aæduntur atque disrumpuntur, unde tum ob humorum stagnationem, tum ob affluxum particularum heterogenearum primo quidem radiorum allapsus atque actio turbatur impediturque, postea autem successive ejusmodi corpus pelliculiforme concrescit. Per ejusmodi autem ictus atque contusiones Cataractas exoriri posse, observationibus quamplurimis comprobari posset, nisi Authorum libri exemplis hac de re referti essent; unicam tantummodo allegabo historiam, quam egomet ipsi etiam conspexi. Ante nonnullos scil. annos in Nosodochium Tigrinum suscepimus Jacob Breitstein von Volgelschweil/

D

etetschweil/ Cataracta laborabat, quam ictus virgæ corneam simul perfodientis, qua virga oculus, dum in sylva quadam ambularet, casu verberabatur, causatus erat. Non autem statim post ictum ipsa Cataracta comparebat, sed solummodo materia Cataractam productura conspiciiebatur, quæ tandem in pellicula consistentiam induruit; traditus itaque Colend. Parenti meo curandus, deposita brevi Cataracta perbene singula ferme citra molestiam dignovit, quamvis ab ictu virgæ remanserit cicatrix, quæ objectorum subtilissimorum cognitionem ipsi denegabat, nihilo secius tamen suis fungi negotiis illo Oculo aptus adhuc est, præsertim cum & alter Oculus à Cataracta quoque manu Parentis mei liberatus fuerit.

§. XVI.

Suppeditant quoque nobis pro asserenda pellicula Cataractam formante argumentum ij ipsi, qui in utero materno jam Cataractam contraxerunt, adeoque cæci in lucem prodierunt, horum quippe ex oculis membranulam extractam fuisse vel sequens Historia docere poterit, quam Excellentissimus atque Experientissimus Dn. Doctor de MURALT in den Schriften von der Wundärzney/ pag. 732. Observ. 4. recenset his verbis: *Cæcigenum quendam atatis sic 19. annorum, nomine Ulrich Sommerauer von Hirslanden ohnweit von Zürich/ Ego Job. Conradus Freytag Chirurgus & Operator Tigurinus, acui consuetæ, felicissimo cum eventu, subjeci. Accidit vero, ut vijui restitutus aliquo post tempore domum meam accederet & forsan in gratitudinis contestationem furto res quasdam auferret. Id quod inter-*

interrogatus constanter negabat, similque alios circumstantes mendacij, junctis crebro convitiis, arguebat. Quum autem denique furtum confiteretur, unus ex adstantibus ira exacerbatus arreptis improbi pedibus eundem per scalam detraxit, quo factum ut caput aliquoties illideret, ex qua percusione Cataractis rursum ascendentibus cæcitate secunda vice punitus fuit, ita ut domum reverti absque dritore non posset. Elapsis binc aliquot annis, Procerum quorundam precibus permotus de novo operationem Cataractarum suscepit, eamque acubus barnatis institui, quibus ita feliciter Cataractas ex Oculis extraxi, ut ad hunc usque diem panem quotidianum querere aptus sit.

§. XVII.

Facit hoc quam maximè epistola illa, quam Clariss. Doctor le CERF à Dn. Daniele GEISLERO Nosocomii Norimberg. Chirurgo & Ophthalmiatro accepit, quamque dissertationibus Ophthalmicis Woolhousij pag. 285. inseruit, in qua agitur de Cataracta vetulae cuiusdam ab illo deposita; verba ita se habent: *Dum in praesentia DD. LOCHNERI & THOMASII primam in oculo dextro operationem institui, reperi Cataractam esse valde duram, & tunica Uveæ interne adhaerentem, ita ut illam circa pupillam separare ægre potuerim, quoties Cataractam reprimebam, toties resiliiebat eadem, idque triginta vicibus & amplius: babebat enim vim elasticam & depressa manere nolebat, quin potius ad dimidiā suā partem rursus in altum ascendebat: digitis meis ante oculum hunc operatum ludebam, ægrotata tamen nil percipere, nec videre poterat, quamobrem hoc*

de oculo fasciis circumvoluto ad alterius operationem
sendebam, in quo etiam erat Cataracta valde dura &
adherens, eam nibilominus magno studio & opera feliciter
dejeci, agrota digitos aliaque obversantia objecta
statim cognoscere potuit, ita ut posthac hocc oculo agra
& videre & distinguere objecta potuerit. Verum haec
vetula anno currente 1718. d. 21. Febr. defuncta ejus
oculos die sequente d. 22. Febr. ex orbita excisi, eos-
que in aedes meas transfuli, & DD. SCHERERUM,
LOCHNERUM, THOMASIUM, GOECKELIUM, WID-
MANNUM, Medicinæ Doctores ad me invitavi, ipsis
dicens. Quod cum non esset ignotum, Doctorem HEI-
STERUM, Professorem Altorfinum in edita Tractatione
de Cataracta, glaucomate & Amavrosi, 1713. (in qua
Brissai opinionem defendit) contendere, Cataractam esse
Lentis Crystalline obscurationem, & non Humoris A-
quei vitium; binc in operatione Cataractæ non pelli-
culam, sicut vulgaris fert hypothesis, sed Lentem Cry-
stallinam deprimi; ubi eos humanissime rogatos vellem,
ut hosce oculos dissecarent, illosque veritatis indagande
gratia accurate examinarent, & quidem juxta quin-
que postulata, quæ à Doctore HEISTERO ipissimo pag.
215. dictantur, dum dicit: Adversarij talia exempla
producere debent, in quibus (1.) Cataractæ depositio
prius fuerit peracta (2.) Eger postea viderit, &
deinde (3.) post mortem oculis dissectis inventa
sit membranula suppressa (4.) Lens Crystallina
in suo naturali loco, nihilque præterea (5.) mu-
tationis in oculo. Dextrum ergo oculum, de quo
agrota post operationem & ad ultimum usque balitum
nil videre potuit, dissecui, in eoque corpus membrana-
sum veram pelliculam representans & pupille inferiori
adhauc.

ad huc firmiter adhaerens, reperi. Humor Crystallinus erat in suo naturali loco in totum opacus. Sinister Oculus à Dn. Doctore WIDMANNO secabatur & in eo pariter corpus membranaceum albicans intra Iridem & Ligamentum Ciliare operatione depresso inventum est. Humor Crystallinus etiam erat in suo naturali loco patet opacus, pro senectutis conditione. Ex hoc oculo post operationem & videre ægrotia, & quamdiu vixit, distinguere objecta facile potuit. Ipsius operationis Dn. D. HEISTERUM certioremi fecit D. WIDMANNUS, Practicus Norimberg. famigeratissimus quod patet ex Chirurgia Heisterianæ Cap. LI. p. 479. qua operatione convictus HEISTERUS concedit dari quidem pelliculas, sed in majori numero indurationem sive opacitatem Lentis Crystallinæ repe- riri. Sed liceat mihi Dn. D. HEISTERO oppone- re dilectiss. Parentem meum, quippe {qui frequen- tissimas & aliquot centenas operationes peregit, mihique asseruit, se reperiisse multos opacitatem Lentis Crystallinæ laborantes, verum qui Cata- ractas veras habentes numero plane non adae- quent, seque semper opacitatem illam pro Glau- comate habere.}

§. XVIII.

Præter hactenus allegatas Cataractarum causas, recensentur adhuc aliae ab Authoribus, quas inter est Calor & Frigus. Frigus enim & o- culos & totum corpus constringere in primis eo- rum, qui in Aëre semper frigido degere cogun- tur, experientia docet. Unde, quando tunica cornea quodammodo constringitur, suam clari-

D. 3. tatem

tatem amittit, qua visus etiam aliqua ex parte impeditur; non tunicae autem duntaxat obest frigus, sed & humores turbat, quemadmodum ex constrictione eorum facile id appareat; cum nimirum densiores etiam fiunt atque tenaciores, & particulæ tenaces ob constrictiōnem coalescere coguntur, unde cum tempore Cataracta exortur. Ne autem hoc contingat, per interna præfertim remedia malo obviam eundum, & principiis obstandum ne sero Medicina paretur. Par modo Calorem oculis quoque afferre posse insigne incommodum negari haud poterit, partim, quoniam totum corpus exsiccat, partim etiam, quod partes heterogeneas, ut in aliis humoribus, ita & in Humore Aqueo glutinosiores tenacioresque reddere facile queat. Nebulam quoque inter Cataractarum causas referunt, quam haud exiguum oculis causari quandoque damnum, vel ex sequenti satis innotescit historia. *Nimirum Nobilis quidam Neocomensis (Dn. Tribulet) die quodam nebuloso transiens pontem Rhenanum Basileensem, dum ad ejus pervenisset medium, subito caligine corripitur visuque privatur, ita quidem, ut paulo post materia quadam Cataracta conficeretur, quam multo labore adhibitis tum internè tum externè remedii removere opus erat, uti hoc Vir Celeberr. atque Experientiss. Dn. ZWINGERUS, Universitatis Basileensis Medicinæ Doctor atque Professor longe Celeberrimus testari poterit. Sunt qui tanquam causas Cataractarum allegant quoque Tonitru atque fulgur; sicuti autem non nego quod vis urens fulguris tenerrima oculorum vascula con-*

strin-

stringere , eadem exsiccare , aut alio modo destruere possit , ita è contrario non facile quis explicabit , quomodo pellicula talis à Tonitru possit produci , nisi quis vel ad stupendum istum fragorem , ut totum corpus ita & oculos nimium percelientem , vel ad terrorem ex tam horrendo sonitu excitatum respicere velit . Tandem & Aquæ ferventis ut & Pulveris Pyrij tanquam catararum mentionem injiciunt ; non negabo etiam plane , quod ab iisdem Cataracta oriri possit , quamvis rariora hac de re prostent exempla . Poscent plura adhuc addi , verum ne hoc specimen , quo id potissimum intenditur , ut observationibus & experimentis palam fiat in Cataracta adesse pelliculam extra Lentem Crystallinam positam , nimium excrescat , ad alia nos convertimus .

§. XIX.

Videndum videlicet paucis est , quomodo tam acerbo laborantes malo sublevari atque curari possint , id quod contingit removendo id , quod opacitate sua visum ademit . Non autem hic sermo erit de methodo per remedia Cataractam tam præservandi quam curandi , sed animus est præcipue agere de remotione Cataractæ mediante & auxiliante periti Artificis manu peragenda . Antequam autem quis ad talem operationem se accingat , necessum quam maximè , ut bene cognitum sit , an Cataracta ad operationem apta existat nec ne , cum hac in re cardo rei versetur . Hinc bene monet Celeberr . Dn . HEISTE-

RUS quod incipientes immatura aut imperfæ

fecta Cataracta curationem per acum non
admittant, sed expectandum sit, donec du-
ritie quadam concreuisse videantur. Acci-
dit nihilominus, ut Cataracta etiam peritis in ar-
te imponat mentiaturque consistentiam debitam,
quam tamen non possidere postea in operatione
deprehenditur. Patere hoc potest ex sequenti
historia de Cataracta albicante, einem Milchstaar:
Anno 1718. d. 5. Aprilis in Nosodochium Tigurinum
excipiebatur Hanns Georg Bissegger / ex pago no-
mine Büslingen oriundus, qui Cataracta albicante
afflictus a splendidissimo Visitationis Collegio Medico.
dilectissimi Parentis mei operationi subjiciebatur. Men-
tiebatur Cataracta maturitatem, unde manum appli-
ciuit, verum acu oculo infixa, cum Cataractam suppri-
mere niteretur, materia, quæ istam formabat, tota
quanta reperta fuit fluxilis, unde totus omnino oculus
in confusione redactus, & cæteri quoque humores
omnes albo colore tincti adeo sunt, ut acum suam per
tunicam corneam cernere prohibitus eandem reducere ex
oculo cogeretur. Itaque nulla spes remansit alia, quam
que remediorum beneficio materiam istam ex oculo re-
movere suadebat, quod tamen nec ipsum felicem even-
tum obtinuit; hæc namque materia iterum collecta con-
gestaque formam, ut antea, Cataracta albicantis in-
duit, cuius deponendæ maturitatem, miser est exspecta-
turus.

§. XX.

Difficilis porro admodum curationis est,
quando Cataracta Uva cohæserit firmiter,
& cum

Et cum eadem concreverit, quod ex eo
 conjicere licet, quando nimirum, si oculo digitis
 placide commoto palpebræ subito aperiuntur,
 Uvea, in statu quo, remanet, ut neque dilatetur
 nec constringatur, quo in casu saepius operatio
 sit infructuosa. Cataractas quoque variegatas
 non semper bene ob mollitatem acum ferre obser-
 vatum fuit; adeoque quando tales remedii cu-
 rari nequeunt, perfectioris maturitatis expecta-
 re tempus erit consultius. A vero hinc non ab-
 ludit omnimodo istud HEISTERI afferentis,
 quod quo magis Cataractæ color recedit
 à margarita colore, eo operationis successus
 magis sit dubius. Parum etiam aut planè nihil
 juvat operatio, si ager neque lucem neque
 obscuritatem agnoscendi aptus existat,
 aut si lucem à tenebris distinguere nesciat.
 Si autem tantum videt, quantum sanus
 palpebris clausis, magnam hoc curatio-
 nis spem facit, uti loquitur modo allegatus
 Dominus Doctor HEISTERUS. Sunt, qui anno-
 fiores Cataractas semper periculosiores quoque
 statuunt, ast experientia nihilominus constat,
 multos, qui 17. 20. & ultra annis cum hoc male
 conflictabantur, latissime tamen visum recupe-
 rassem. Bene etiam observanda esse subjecta, in
 quibus operationem instituere volumus, jubent
 Ophthalmiatri, hinc non facile in *Infantibus*

E

atque

atque Puerulis nec in atate valde Senilis applicatur. Excluduntur quoque ab operatione, qui tussi, coryza, sternutatio-
ne, vomitu, &c. laborant, non solum ob periculum, quod in ipsa operatione à tali contingenti supervenire possit, verum etiam, quoniam Cataracta facile sic recrudescit, aut rursus exsurgit. His jam positis operatio Cataractarum si non plane inutilis saltem admodum difficilis existit, sicuti è contrario sanabiles Cataractae putantur, quæ colore gaudent albicante, glauco sive cinereo, consistentia item dura atque tenaci præditæ sunt, ita tamen ut Uvae non omnimodo & firmiter nimis adhærent, sicuti & spes futuræ felicis operationis affulget in iis, ut supra dictum, qui lucem ab obscuritate adhuc dignoscere pol-
lent.

§. XXI.

In tali jam statu æger sublevandus venit, & licet malum fere desperatum sit, modo aliqua recuperandi visum spes adsit, tentanda operatio est. Merentur hanc in rem allegari verba, quæ habet. Celeberrimus HEISTERUS ita differens: Cætero-
quin si ulla adhuc bona supersunt signa, agrum in mi-
serrimo illo status, vijii nempe privatum, non relin-
quamus, ne Medicus neglexisse quid videatur quod
sui est officij, sed contra ubi non omnis spes manifesto
decollata, ad operationem varias ob rationes progre-
dendum esse censeo: 1) quia operatio non est valde do-
lorifica, sed saepe nihil quicquam doloris infert; 2) quia
non adeo est periculosa, sicut multæ aliae, imprimis si à
tali

reali fiat artifice, cui structura oculi & natura mortis
probe cognita sunt, ac simul oculorum acie, manu firma,
animoque intrepido instructus sit. 3) Quia aeger
in pejorem statum vix confici potest, dum enim despe-
rata laborat suffusione, visu jam privatus est, ut vix
pejus quid ipsi contingere possit; si operationem faustam
non sequitur successus, aeger pejus inde se non habet, sed
solum cæcus est ut antea; si vero præter opinionem
Medicus visum ei restituit, sicut non raro talia exem-
pla visa sunt, tunc eo majorem gratiam apud agrum,
eo vero insigniorum gloriam apud omnes bonos consequi-
tur. Igitur nunquam omittenda, ubi vel minima spes
affulget, saepe enim prodeesse, raro vero vel nunquam
nocere potest bonus Chirurgus, ideoque audacter in tali
statu operationem suscipiat.

§. XXII.

Antequam operationem ipsam describamus, pauca quoque de boni operatoris requisitis mo-
nebimus. Nimirum operator instructus a) esto
notitia partium, ex quibus oculus constat, præ-
sertim quæ per acum lædi possunt. b) Calleat
Cataractæ naturam & situm. Sciat c) qua in
parte oculus perfodi debeat. Cognoscat d) qui-
bus mediis tum in operatione, tum in curatione
variis contingentibus qviam eundum. e) Non
habeat manum tremulam sed f) firmam, & u-
traque manu ad operandum capax existat. His
similibusque dotibus instructus ad operationem
in subiecto, cuius quoad reliquas corporis partes
sanitas prius indaganda, se accingat. Quod si ple-
thoricum sit subiectum, sanguis detrahatur

E 2 prius,

prius, ea tamen cum cautela, ut primæ viæ eva-
cuentur & sanguis mediante leni remedio pur-
gante per intestina depuretur, ne facile congestio,
inflammatio vel aliud quidpiam malum operatio-
ni superveniat. Operatus vero etiam sibi præ-
caveat à fortioribus laboribus, ne tremulam ma-
num reddat, ægroto probè inculcat, qub se mo-
deste & quiete habeat, nec non dies aliquot ante
operationem à spirituosis potionibus, quæ san-
guinis motum augent, abstineat. De cætero tem-
pus operationi opportunum pro sua prudentia eli-
git artifex, nempe vel vernale vel autumnale, cum
eo tempore aër magis temperatus esse soleat: In
æstate enim majus existit inflammationis pericu-
lum, & insuper ægri nimij caloris impatientes non
tam facilè in conclavebus detinentur. Postremo
talis operatio suscipiatur coelo sereno & ut pluri-
mum, ex quorundam sententia, Luna decrescente.

§. XXIII.

Restat expediendum illud, quod ad opera-
tionem proprie pertinet. Primum ergo Chirur-
gus operationem suscepturus eligat conclave lu-
cidum, & quod operatione peracta obscurari ite-
rum possit. Notandum autem est, ut lectus ibi-
dem sternatur, ne ægrotus huc illuc ambulare
opus habeat. Exinde requiruntur operatori mi-
nister ægroti caput sustinens, aliique necessaria
ipsi porrigentes, & imprimis, qui lacrymas ægro-
fluentes abstergat. Porro Operator habeat apta
ad hanc operationem instrumenta, speculum o-
culi, ad illum sustinendum ex argento commu-
niter constans, acus varij generis, læves, hama-
tas,

tas, secantes, pro circumstantiarum necessitate. Post exornatus esto ad deligationem requisitis, qualia sunt splenia mollia, totum oculum tegentia, strophiolum triangulare, vel fascia longitudinales duarum vel trium ulnarum, latitudinis duorum transgressorum digitorum, quibus medicamenta & imprimis collyria applicari & contineri queant. Necessum enim ut plurimum talia adhibere: sic contra inflammationem vulgo adhibere solent epithemata ex albumine ovi, alumine crud. Croco Orient. Aqua Rosar. Euphras. fœnic. &c. Usurpantur etiam saepe facculi ex herbis Ophthalmicis, Cephalicis atque nervinis parati, qui vel fasci, vel in liquore convenienti decocti adhibentur, qualia remedia varia apud Authores descripta deprehendes. Non opus quoque erit monere adesse debere talia medicamenta, quæ patientem refocillare, Lypothymiam vel præcavere vel arcere valent,

§. XXIV.

Sequitur jam brevibus operatio ipsa; in qua primo loco occurrit situs tum Chirurgi, tum ægroti qui commode mediantibus duobus fit sedilibus, in quorum humiliori æger, altiori vero Chirurgus ita collocatur, ut dorsum fenestram versus flectat, ægrotoque radij solares eò melius in oculum incidere queant: & sic utroque proprius invicem appropinquante Chirurgus crura ægri suis interponere ac ambabus manibus tenere genua jubet. Hoc facto, fasciis vel strophiolo triangulari, altero oculo, si sanus est, deligato, ne per operationem terrore afficiatur, minister quidam,

E;

qui

qui justam staturæ proportionem habeat, caput ægri tenere paulo refupinum, illudque contra pectus premere debet, ut Operator quiete eoque promptius operationem peragere queat, cum si ne istis requisitis facile pars oculi nobilis lædi posset. Tandem Operator manibus ad operationem directis dígito indice ægroti aperit palpebras, & quidem pollice & indice manus sinistræ, si oculus sinister laboret, si verò dexter oculus affligitur, manu quoque dextra palpebrarum apertio peragitur: jubet ægrum hinc ut oculum nasum versus contorqueat: & altera manu, si placuerit, prehendit speculum oculi, quo mediante oculum tenuis apertum idem dein in oculi orbitam applicat. Quo facto porrigit quispiam Operatori acum vel consuetam, vel acuminatam vel etiam hamata, prout circumstantiarum necessitas id postulat; nempe si Cataracta Chirurgo ante operationem adhærens Uveæ non videtur, acus lœvis adhibetur, si autem adhæsio præsumitur, optimæ sunt secantes, quoniam cohærentiæ separari ab Uvea iisdem possunt. E contrario si habet elasticitatem Cataracta, ut modo dictis acubus in oculi fundum submersa non permaneat, sed sursum semper tendat, acus usurpatum hamata, quæ admodum subtili hamo instruēta est, qua mediante ipsam pelliculam Cataractam formantem extrahi posse supra ostendimus variisque observationibus comprobavimus. His jam se ita habentibus postea blanda manu acum inter canthum oculi externum & Iridem duarum linearum circiter à cornea spatio sensim sensimque pertuni-

tunicam albugineam reliquaque intrepidè ad oculi cavum infigit, cavendo læsionem tam humoris Crystallini quam vasculorum sanguiferorum & processuum Ciliarium, unde insignis dolor oriri posset. Quando ad medium usque oculum pervenisse acum per pupillam conspicit Operator, & ex eo percipit, quando resistentiam amplius non persentiscit, illam ad suffusionem sive Cataractam applicat, & si non adhærescit eandem in fundum oculi deprimit, si vero adhærentem deprehendit, acu præsertim secante separat, & si aliter fieri non potest, dilacerat, hincque ejus submersionem molitur, suppressam in oculi fundo detinet, usque dum videat illam non amplius assurgere, quod explorare inter alia solent inspundo aquam frigidam in oculum qui operationi subiectus erat. Quod si ascendit rursus toties vicissim, usque dum in fundo hæreat, supprimatur, suppressaque detineatur, aut mediante acu hamata, si possibile est, extrahatur; si autem suppressa permanet, palpebris compressis acus ex oculo rursus removeatur.

§. XXV.

Operatione denique auxiliante Deo feliciter peracta, non multa objecta debilibus adhuc ægroti oculis Operator præsentet, verens, ne Cataracta, prout fieri consuevit, per talē motum ascendendi rursus ansam nanciscatur, sed clausis ut primum illius oculis epithemata ex albumine ovi conquaßato, alumine, Croco &c. confecta applicat, eademque commoda fascia deligat. Postea in lectum cum ægrotō properans, ipsi oppido in jungit, nullum ut motum faciat, unde depressa

Cata-

Cataracta pristinum rursus locum peteret, & si sternutatio ipsi forsitan obveniret, ut ad angulos oculi internos nasi radicem manuum altera comprimat, quippe qua ratione sternutatio supprimitur. Conclave in quo ægrotus versatur, valde sit obscurum, ne in oculis dolores à splendore nimio excitentur: lectus talis preparetur, & pulvinaria ita sub capite locentur, ut in eo quasi sedeat, quo Cataracta ascendere facile non valeat. Diætam injungat Operator tenuem, caveatque æger imprimis à cibis durioribus, qui masticatione forti opus habent, & eo omnis intendatur nervus, ut quæ inflammationem producere & accelerare possint, præcaveantur atque removeantur causæ, ubivis simul obviam eundo contingentibus quibuscumque, id quod periti in arte jam facile norunt. Per triduum interim post operationem, singulis diebus tribus vicibus renovatur oculi deligatio. Quando autem inflammatione vel urente dolore occuparetur oculus, facculis ex nervinis, cephalicis, albumine ovi &c. pro circumstantiarum varietate succurrifit. Oculi per tres post operationem dies nequaquam aperiantur, hisq; etiam præteritis non nisi in obscuro per aliquod dierum spatum objecta ipsi ægrotanti conspicienda offerantur, & in primis ne justo fortior oritur motus, tantum viridia: quoad denum objecta sive miracula summi Creatoris omnia cum gaudio debitaque pro restitutis luminibusque gratiarum actione admirari denuo ipsi liceat. Et hæc de Cataracta dicta sunt. Benè agnoscamus multa potuisse superaddi, multa etiam uberiori explanari, verum cum saltē specimen profectum qualiumcumque edendum fuerit, facile impetraturos nos veniam speramus, si hocce Tyrocinium non cuivis satisfecerit.

F I N I S.

X2369882

W02

B.I.G.



J. J.
DISSE^TATI^O MEDICA
DE
CATARACTA,
QVAM
Sub PRÆSIDIO
DN. JOHANNIS BOECLERI,
Med. & Phil. Doctoris,
Botanices atque Chymiae Professoris Publ. Ordinarij
& Capit. Thomani Canonici,
h. t. Facultatis Medicæ DECANI Spectabilis,
IN
SOLENNI Eruditorum Congressu
hor. locoq; conf.
d. 7. Februarij Anni currentis M DCC XXI.
tueri conabitur
AUTHOR
JOHANNES HENRICUS
FREYTAG, Tigurinus
ARGENTORATI,
LITERIS JOHANNIS PASTORII.